DISPUTATIONUM FEUDALIUM QUARTA

De

FEUDI CONSTITUTIONE ET CONFIRMATIONE.

QUAM

DEO OPT. MAX. FORTUNANTE,

SUB PRAESIDIO

Clariſſimi & Conſultiſſimi Viri,

DN.

IOAN: THOMÆ CLUDII

I. V. D. ET PROF. ORDINARII, &c.

Publicè examinandam proponit

GEBHARDUS Beckcher VVilſtriâ Holſatus.

BIBLIOTHECA ... ROMA ...

In novi Iulei auditorio majori.

Ad diem XXX. Ianuarii.

HELMAESTADI,
Ex officina HENNINGI MULLERI, Acad. typ.
ANNO CIↃ IↃC XLI.

Σὺν τῷ Θεῷ.

DISPVTATIONVM FEVDALIVM QVARTA De FEVDI CONSTITVTIONE ET CONFIRMATIONE.

THESIS I.

CVm in Diſputatione præcedente expoſitum ſit, in quibus rebus Feudum conſtitui poſſit, conſequens ut videamus, Quomodo in iis Feudum conſtituatur, ſeu, Quomodo Cauſa Feudi Formalis rebus inducatur, ut efficiens finem, propter quem Feudum conſtituitur, aſſequatur. Continuatio.

II. Modus conſtituendi Feudi eſt unicus Inveſtitura, accuratè namque diſtinguendi ſunt, (quos perperam confundit Roſenth. *c. 6. concl. 1. num. 1.*) Conſtituendi Feudi Modi, à Modis Acquirendi Dn. Vult. *L. 1. cap. 7. num. 1.* Feudi enim Conſtitutio quoad naturam & intellectum prior eſt ejus Acquiſitione, licet interdum quod uno actu fiant, ſimul eſſe cenſeantur. Inveſtitura unicus conſtituendi Feudi modus.

Inveſtituræ Etymologia & varia ſignificatio.

III. Vocabulum Inveſtitura (ſive ſit latinum, olim in contractu emptionis & venditionis uſitatum, ut vult Cujac. *l. Obſerv. 14.* ſive barbarum quod vult Hotom. *in Lex. in verbo Inveſtitura*) triplici fere pro ſubjectâ materiâ reperitur in ſignificatu. Nonnunquam enim ſcripturam in actu inveſtiendi ad memoriam rei geſtæ factam denotat; Godofr. *Diſp. Feud. 4. th. 6. l. f.* Interdum etiam poſſeſſionem ſignificat. *c. un. in pr. t. 2. F. 2.* Frequentius vero ipſum inveſtiendi actum innuit. *c. un. t. 25. F. 1.*

Definitio.

IV. Hoc poſtremo ſenſu concinnè à Cujacio *in c. un. v. ſi vero Archiepiſcopus t. 3. F. 1.* definitur, Solemnis Feudi ceſſio, à domino, vel ejus nomine alio, propriè vel impropriè, ei, quem dominus pro vaſallo habere poteſt, facta.

Inveſtitura alia Propria alia Abuſiva.

V. Diſtribuitur primo ut ex definitione patet in Propriam & Impropriam ſive Abuſivam *t. 2. F. 2.* ubi Feudiſtæ communiter VVeſenb. *tr. Feud. c. 8. n. 11.* & hanc diviſionem nec ſupervacaneam, aut pro fecibus in ſinceriorem Iuriſprudentiam invectis à Feudorum Compilatoribus habendam, contra Dominum Vultejum *l. 1. c. 7. nu. 11.* cum Dn. Bocero *in tract. de Inveſt. c. 2. n. 81.* tuebimur.

VI. Propria nobis eſt quâ vaſallus in rei feudalis poſſeſſionem corporaliter inducitur. *t. 2. F. 2.* Bocerus *d. l. n. 71.*

VII. Abuſiva eſt umbra quædam & typus propriæ, vt loquitur Schenck Baro *ad t. 2. in pr. n. 1. F. 2.* quâ videlicet Feudum abſque corporali poſſeſsionis traditione vaſallo ſolemniter ceditur, tradito ipſi loco rei aliquo corporeo: veluti enſe, haſta, vexillo, annulo &c. Bocer. *d. l. num. 72.*

Quid iuris Vaſallus per Abuſivam acquiſat.

IIX. Hæc abuſivâ licet poſſeſſionem inveſtito ut propria *t. 33. in pr. F. 2.* non tribuat, niſi fiat in præſentia & ſub conſpectu rei feudalis, *t. 2. in pr. F. 2.* ubi Alvarott. *addit. L. quod meo 18. §. 2. de acquir. vel amit. poſſeſ.* Sed tantum jus quoddã ad eam nanciſcendã: Tamen eâ factâ, & fidelitatis jura-

juramento ſubſequuto, Roſenth. *cap. 6. concl. 13.* Schenck Baro *ad t. 4. in pr. n. 1. 2. & ſeqq. F. 2.* datur inveſtito actio, per quam compellitur dominus rei ipſius quæ promiſſa eſt, etiamſi ab alio detineatur, vacuam poſſeſſionem præſtare, adeo ut ſi ullo modo recuperandæ tradendæque poſſeſſionis facultatem habere poſſit, præſtando intereſſe, aut aliud æquivalens Feudum non liberetur. Vult. *l. 1. c. 10. n. 11.* Roſenth. *C. 6. concl. 7. & 8.*

IX. Atque hoc jus inveſtito per Inveſtituram abuſivam acquiſitum eouſque Fendiſtæ extendunt, ut reluctante domino ei poteſtatem tribuant, propriâ authoritate fundum ingrediendi, & poſſeſsionem vacuam apprehendendi. Sonsb. *P. 9. num. 30.* Zaſ. *P. 6. num. 6.* Sneidevv. *P. 4. num. 11.*

X. Nec ad hanc apprehenſionem neceſſe eſt ut omnes glebas circumambulet, ſed ſufficit quamlibet fundi partem introire, modò eâ mente ſit, ut totum fundum uſque ad terminum poſsideat. *L. poßideri 3. §. 1. ff. de acquir. & amitt. poſſ.* Et ſi plures fundi ſunt, per unius ingreſſum vaſallus omnium poſſeſsionem nanciſcitur. Alvar. *C. un. num. 7. t. 2. F. 2.* ſi modò reliqui fundi ſub illo quem ingreſſus eſt, tanquam partes contineantur, nam alias ſecus. Borch. *c. 7. n. 11. tr. F.*

XI. Elegans hic oritur quæſtio in caſû ubi duo diverſis temporibus de eodem Feudo inveſtiti, & alter eorum poſſeſsionem nactus ſit, quis potior exiſtimari debeat? & putem poſſeſſorem præferendum, etſi poſterius inveſtitus fuerit. *L. Quoties 15. C. de Rei Vind.* Dn. Arumæus *Diſp. Feud. 5. th. 10.* Idque in eo quoq; caſu procedere, cum Dominus ſecundo poſſeſsionem tradidit, hac proteſtatione, ut primo jus ſuum ſalvum maneret. Arum. *al. th. 11.* Eaque indiſtinctè, tam in clerico quam Laico inveſtiente obtinere verius. Borch. *c. 7. n. 12.* De duobus diverſis temporib. inveſtitis.

XII. Poteſt autem Dominus non ſolum de feudo aperto Inveſtituram alicui conferre, ſed etiam de eo De quibus rebus Inveſtitura fieri poſſit.

 quod

quod aperiendum ſperatur, vaſallo familiæ ſuæ & agnationis ultimo ſuccumbente, & Feudi caducitatem cauſante. Vult. *cap.7. num.48.* Quod adeo procedit, ut etiam tum cum vaſallus liberos habet, ſub quorum mortis conditione ſimul facta ſit, validam de jure exiſtimemus. Vult. *cap.7. num.49.*

XIII. Eaque Inveſtito tantum jus tribuit, ut hanc etiam mortuus ante eum, in cujus mortis caſum inveſtitus fuerat, ad hæredem tranſmittat. *cap.1. t.9. F.1.* Dominique heres domino defuncto eam omnino implere teneatur. *t.3. in fin. F.1.* Borch. *c.7. n.19.*

XIV. Hoc poſterius tamen tantum procedit in laico, non etiam clerico, qui Inveſtituram à deceſſore ſuô factam non aliter ratam habere cogitur, quam ſi capitulo conſentiente facta ſit, aut inveſtitus ab inveſtitore conſentiente vel ratihabente vaſallo, in poſſeſſionem feudi ductus fuerit. *t.3. in pr. F.1. t. 26. §.2. F.2.* Giph. *Diſput. Feud. 4. th. 18.*

Quis eam conferat. XV. Confert Inveſtituram ſive propriam ſive impropriam, Alvarott. *in c. un. §. ſed utrum n.2. t.3. F.2.* dominus immediatè proximus, non domini dominus, *c. un. §. illud t. 55. F. 2.* Sonsb. *P. 9. n. 7.* item domini procurator ejus nomine, Alvarott. *all. l.* cujuſmodi procurator Principis ut vult VVeſenb. *cap. 8. num. 12. tr. Feud.* eſt Cancellarius. Quis accipiat. Accipit eodem modo vaſallus nimirum per ſe, aut per alium. *dd. ll.*

XVI. Sed quid ſi vaſalli præſentiam dominus deſideret, num vaſallus in propriâ perſonâ comparere, ipſeque inveſtituram accipere, & juramentum fidelitatis præſtare tenetur? Et licet magni nominis Iuriſconſulti Dn. Vult. *cap. 7. num. 32.* & alii ibidem ab ipſo allegati hoc velint, negantium tamen opinioni tanquam veriori ſubſcribimus. *cap. un. §. item t. 58. F. 2.* Bocerus *Cl. 5. Diſput. 26. theſ. 26.*

Diſtributio ſecunda. XVII. Porro utraque Inveſtitura vel eſt Feudi

ſive

ſive beneficii veteris, vel eſt Feudi ſive beneficii novi *t. 3. in pr. & t. 32. F. 2.*

XIIX. Inveſtitura Feudi novi, quæ etiam nova Inveſtitura dicitur *d. t. 32.* eſt, quâ vaſallo nunc primum Feudum aliquod quod antea non erat conſtituitur. *d. t. 32. verſ. novam.*

XIX. Quemadmodum vero Iure Civili res allodialis alicui per traditionem vel quaſi non acquiritur, niſi ex juſtâ causâ ad dominii tranſlationem aptâ. *Paulus L. nunquam 31. in pr. ff. de Acquir. rer. dom. §. per traditionem 41. Inſtit. de Rer. diviſ.* Eodem modo & Feudali jure per Inveſtituram non acquiritur (ſeu ut magis propriè loquamur conſtituitur) vaſallo Feudum, niſi ex juſta aliqua causâ, ad conſtituendum Feudum idoneâ. *arg. t. 1, verſ. ſtrenuus a. F. 2.* Inveſt. F. novi requi rit titulum

XX. Harum autem cauſarum effectus hic eſt quod is, cui ejuſmodi quadam causâ inter vivos Feudum eſt promiſſum, aut ultima voluntate relictum, agere ea ex causâ poteſt, ut de iſthoc feudo inveſtiatur, & per inveſtituram feudi poſſeſſionem adipiſcatur; ut communiter ſentiunt Dd. quos refert & ſequitur Roſenth. *c. 6. concl. 5.* Titulorũ quis effectus?

XXI. Sed quæritur in ſpecie ſitne pactum nudum etiam hujus efficaciæ? affirmat generaliter Roſenth. *c. 6. concl. 5.* negat præcisè Niell. *Diſp. 4. th. 1. L. E.* nos mediæ viæ inſiſtimus, diſtinguendo inter pactum nudum legitimum, & pactum nudum juriſgentium, illud validum & efficax cum Bocero *intr. de Inveſtiturâ c. 2. n. 7.* aſſerimus, hoc non item.

XXII. Porro ut ad unamquamque rem rectè expediendam & conficiendam, certa requiſita & ſolemnia jure deſiderantur, Donell. *num. 1. de Verb. Oblig.* ſic & hæc Inveſtitura ſua habet requiſita, ſua ſolemnia deſiderat, ſine quibus facta non valet. *t. 2. in pr. t. 32. F. 2.* de quibus diſpiciendum. Solemnia.

XXIII. Continentur quatuor rebus, Inveſtituræ

Peti-

Petitione, Fidelitatis Promiſſione, Verbali Feudi ceſſione, & denique Teſtium adhibitione. Vult. *cap. 7. num. 20. & ſeqq.*

So'emne primum Petitio.

XXIV. Petitio primum locum obtinet, nam antequam jus feudi reale vaſallus acquirat, neceſſarium eſt ut petat à domino Inveſtituram, & ad ſacramentum ſe offerat. Alioqui nihil præſtare dominus cogitur. *c. un. in fine ubi gl. t. 3. F. 2.*

Quando ea inſtituenda?

XXV. Tempus tamen certum huic petitioni in inveſtiturâ nova cum Iure Feudali præſcriptum non ſit. Gœdd. *Diſput. Feud. 3. th. 5.* putem cum VVeſemb. *c. 8. n. 1. tr. Feud.* vaſallum poſſe ſi libeat, ſine ullo periculo expectare, donec ad accipiendam inveſtituram à domino citetur. Quod ſi tribus vicibus, inter ſingulas ſeptem aut decem dierum ſpatio interpoſito, citatus non venerit, dominus inveſtire ipſum amplius non cogitur, ſed ex promiſſione ſuâ conventus, actorem exceptione repellere poteſt. *cap. 1. §. eſt & alia t. 24. F. 2.* Vult. *cap. 7. num. 21.* VVeſenb. *cit. l.*

Solemne ſecundum Verbal. F. Ceſſio.

XXVI. Petitionem hanc proximè Verbalis Feudi ceſsio excipit, ut ſi dominus, aut ejus procurator ad hoc conſtitutus dicat: Ego te inveſtio de hoc prædio, ut illud in Feudum habeas. *c. un. t. 2. F. 2.* atq; adeo à petitione dominum ad hanc teneri dicit VVeſenb. *n. 10. all. l.* ut vaſallus ante fidelitatem promittere non cogatur.

Solemne tertium Fidelitatis promiſſio.

XXVII. Hac autem factâ ſtatim Fidelitatis promiſſio ſequitur, *t. 4. t. 7. §. ult. F. 2.* in quâ ſpecifica feudi forma conſiſtit, cum ſine hac feudum eſſe, aut intelligi non poſsit. *c. 1. § fin. t. 3. F. 2.* Vult. *c. 6. n 7.*

Eius definitio.

XXIX. Etſi autem varia vocabuli Fidelitatis ſignificatio, ut videre licet apud Alvarott. *ad c. 1. t. 4. F. 2.* Vult. *l. 1. c. 6. n. 23. & ſeqq.* tamen pro ſubjectâ materiâ nihil aliud denotat, quam promiſsionem & præſtationem eorum quæ in forma fidelitatis continentur.

Forma.

XXIX. Forma hæc cum non ſemper ſit una atque eadem,

eadem, idcirco ut Civili, *L. ſemper 34. ff. de R. I. L. de quibus 32. ff. de LL.* ſic & Feudorum Iure, primitus inſpicimus quid actum ſit, *c. un. §. pen. & ult. t. 2. F. 2.* Vnde ſi quid ſpeciatim inter dominum & vaſallum convenerit, illud omnino ſervandum eſt. Vult. *cap. 7. num. 40.* Modo non ſit contra ſubſtantiam feudi, vel juris prohibitionem. *L. 1. §. ſi convenit 6. ff. Depoſ. L. contractus 23. §. ſed hæc ita de R. I. L. 7. §. ait Prætor ff. de Pactis.* Quod ſi nihil actum ſit, id ſequimur quod in eâ regione frequentatur. Schenck Baro *num. 6. ad c. 1. t. 7. F. 2.* Si nec ſpecialis mos aut conſvetudo appareat, ea forma recipienda eſt, quam commune Feudorum jus communiter receptum præſcribit in *t. 6. & 7. F. 2.* Schenck. *all. l.*

XXX. Hæc forma ſecundum Feudiſtam all. l. continet ſex, Incolume nimirum, Tutum, Honeſtum, Vtile, Facile, Poſſibile, quibus Dd. *atteſtante Vulteio c. 7. num. 40.* addunt Conſilium & Auxilium. *Ea comprehendit ecto.*

XXXI. Notandum tamen cum alia atq; alia Feudi conditio ſit, ſolere Principum, aliorumque Dominorum conſiliarios, pro conditione Feudi vaſallis formam fidelitatis præſcribere. Bocer. *in tr. de Inveſt. n. 21. c. 4.*

XXXII. Cæterum licet interdum ſine ſacramento fidelitas promittatur, illud tamen non aliter quam ex conventione fit, in feudis enim omnibus, ſive modicis, ſive magnis, omnino & regulariter juramentum præſtandum eſt. VVeſenb. *cap. 8. num. 21.* Roſenth. *c. 6. concl. 32.* niſi forſan Eccleſia ab aliquo feudum teneat, ea enim ipſo jure immunis. Cujac. *t. 101. F. 2. ipſ. 5.* quod privilegium tamen ad clericos extendi non debet. Sneid. *P. 4. n. 16.* Alvarott. *in c. 1. n. 4. t. 5. F. 2.* *Quæ regulariter ſacramento ſunt confirmanda.*

XXXIII. Iuramentum hoc præſtat vel ipſe vaſallus, & quidem plerumque Cujac. *in c. 1. t. 91. F. 2.* vel ipſius nomine alius *c. 1. t. 3. F. 2.* dummodo ad hunc actum ſpeciale mandatum exhibeat. Zaſ. *P. 7. num. 20.* Quod tamen in *Quod à quibus ſit præſtandum.*

tutore & curatore ſecus eſt, qui etiam ſine mandato ſpeciali admittuntur, Vult. *c.7. n.34.*

XXXIV. Et quamvis regulariter omnes quibus pacto vel lege ut antea diximus teutiſſum non eſt præſtare teneantur, non tamen indiſtinctè contra omnes obligat: Excipiuntur enim Antiquior dominus *c.4. in fine t. 28. F. 2.* Imperator *c.1. in fine t.55. F.2.* qui omni creaturæ præferendus eſt *c. ſolicita de maior. & obedient.* Jurantis patria, Alvarott. *c.1. n.6 t.7. F.2.* & denique jurantis perſona. *L. 16. C. de Solut.* Borch. *c.6. n.41.* & his perſonis exceptis, vaſallus contra omnes alios jurare, & dominum adjuvare tenetur, etiam contra patrem, fratrem & filium. *c.un. t.7. F. 2. c. un. in fin. t.28. F. 2.* Sneid. *P. 4. n.87.*

Solemne quartum Teſtium adhibitio. Eorum qualitas.

XXXV. Vltimò & quartò pro ſolemnitate requiritur teſtium adhibitio *c.1. t.32. F.2.* qui etſi in reliquis negotijs omnes adhiberi poſſunt qui non prohibentur *L. 1. ff. de Teſtib.* ſecus tamen in Inveſtiturâ novâ. ei namque ſoli pares curiæ, ſi ſint, adhiberi poſſunt: Nam ſi alii extranei etiam mille atteſtante Sonsbecio *P. 9. n.10.* advocentur, Inveſtitura inutiliter facta dicitur. *c.1. t.2. F.2.* adeo, ut licet ipſe dominus eam factam eſſe fateatur, *c.1. t.32. F.2.* aut teſtes iſti poſtmodum pares facti fuerint, nihil tamen actum intelligatur. *Gl. & Dd. in c.4. t.32. F. 2.*

Numerus & Modus eos vocandi.

XXXVI. Non tamen omnes vocandi ſunt, ſed duo ſufficiunt *in pr. t.2. F.2.* Zaſ. *P.6. n.3.* qui ſi forſan abſint, ter citari debent, interpoſito ſemper ad unamquamque citationem ſpatio, pro arbitrio judicis determinando. Sonsb. *P. 9. n.15 & 17.*

XXXVII. Vocatis vero venire detrectantibus, dominus alios quos habet nondum vocatos citare, eoſq; itidem contumaciter emanentes mulctâ indictâ, pœnaliq; judicio cogere poteſt, nam hoc in caſu, tanquam paribus non exiſtentibus, extraneis fieri locum pernegamus. Schenck Baro *in c.1. n.6. t. 2. F.2.*

XXXIIX. Notandum tamen quod monet *idem*

Baro

d

Baro all. l. Si vel pares curiæ ita abſint, ut eorum copia penitus baberi nequeat, vel tam longâ itinerum intercapedine ſint disjuncti, ut niſi prolixo temporis intervallo redire non poſſint, ſine eis inveſtituram factam de æquitate ſubſiſtere.

XXXIX. Hanc eandem neceſſitatem adhibendi pares in Feudi Eccleſiaſtici Conſtitutione Clerico domino non incumbere, quicquid contradicat Vultejus *c.7. n.28.* moti expreſſo *textu in c. 1. §. clericorum t.26. F.2.* ſtatuimus. De paribus curiæ qui ſint vide omnino Vult. *c. 7. n. 24.*

XL. Elegans & utilis hic movetur quæſtio an ut adhibitio parium, ita etiam Scriptura Inveſtituræ ſubſtantiam concernat? Quod negamus cum Sneid. *P. 4. num.29.* Sonsb. *P.9. n.23. & ſeqq.* VVeſenb. *c. 8. n.31. Præpoſ. in c. 1. n. 6. t.2. F.2.* Alvarotr. *in c.1. n.4. t.57.* F.2. niſi forſan ut in ſcripturam redigatur convenerit, quo caſu eam omnino requiri concedimus. *§. 1. Inſt. de Empt. & vend. L. contractus 17. C. de Fide Inſtrum.* Vult. *c.7. n.42.* — Scriptura pro ſolemni non requiritur.

XLI. Interim tamen cum in Probationibus maximum ei pondus tribuatur, Gothofr. Ant. *Diſp. Feud. 4. th.6. l.F.* & in oblatis difficultatibus ad ejus tenorem tanquam cynoſuram perpetuo recurratur. Gœdd. *Diſp. Feud. 3. th. 24.* multumque ad redimendas controverſias eam confeciſſe conducat. Sonsb. *all. l.* hodiè ex uſu in plerisque curiis ſervatur. Sneid. *prox. all. l.* — Minimè tamen ob inſignes uſus negligenda.

XLII. Scriptura hæc ut ſupra *in th. 2.* monuimus interdum Inveſtitura dicitur, propriè autem magis ejus inſtrumentum *c. 1. t.38. F.2.* Feudiſtis ſpecialiori nomine Breve teſtatum. *t. 2. & 3. F.1.* — Quomodo dicatur.

XLIII. Huic quin teſtes adhibendi ſint nullum eſt dubium, per *c. 1. t.2. F.2.* an vero præciſe requiratur ut ſint pares, quæſtionis eſt arduæ? quod affirmamus eod. modo ut in præcedentibus per *c. 1. t.2. F.2.* — An & qui teſtes adhibendi.

XLIV. Hodie tamen opus non eſſe ut pares curiæ, aut alii extranei brevi teſtato teſtes adhibeantur, ſed

ſuffi-

ſufficere, ſi inſtrumentum ſigillo & ſubſcriptione domini munitum ſit, teſtatur Dn. Vult. *c.7. num. 42.*

Inveſt t. Acceſſoria quæ ſunt pacta.

XLV. De Inveſtituræ ſolemnibus & ſubſtantiâ hæc dicta ſufficiant. Videamus jam de Acceſſoriis Pactis nimirum: Quemadmodum enim omnibus negotiis & contractibus, *L. Iuris gentium 7. §. 1. 2. 3. ff. de Pactis L. in bonæ fidei 13. C. eod. L. lecta 40. ff. de Reb. Cred.* rerumq; traditionibus, *L. in traditionib. 48. ff. de Pact. L. legem 10. C. eod.* ita etiam Inveſtituræ pacta in continenti adjici ſolent. *c. 1e t.2. F.2. c.1. t. 107. F.2.*

Diſtinctio inter pacta

XLVI. Pacta hæc cum ſint varia, nec certo jure definita, idcirco ut dignoſcere poſſimus quæ eorum licita, quæ non, diſtinguendum erit inter feudi Subſtantiam, & feudi Adminicula, ſeu ut Dd. loquuntur Naturam.

Pacta circa Subſtantiâ.

XLVII. Subſtantiam feudi quæ impugnant omnino ſunt vitioſa, totumque negotium deſtruunt, ut ſi conveniat ne Fidelitas præſtetur: aut ne Inveſtitura ſolemnitatibus jure requiſitis fiat. arg. *L. nemo poteſt 55. ff. de Leg. 1.* Vult. *c.7. n.55.*

XLIIX. Sed pactum hoc ut Feudum etiam in re mobili conſtituatur, tanquam contra feudi ſubſtantiam non ſubſiſtere, communis & recepta eſt Dd. opinio, â quâ tamen non ſine ratione diſcedimus, *per t.8. in pr. t.25. F.2. & arg. c.1. f.1. tit.27.* Et ulterius per conſequens ſtatuimus, pacto quoque concedi poſſe, ut Feudi proprietas ad vaſallum tranſeat. Bocer. *Cl.5. Diſp.16. th.31. l.A.*

Pacta circa Adminicula

XLIX. Pacta circa Adminicula Feudi facta regulariter valent, etiamſi iis prorſus ſint contraria: Mozz. *d. accid. F. n.1.* modo non oppugnent bonos mores, vel ſint impoſſibilia, aut anſam peccandi præbeant. VVeſenb. *in Parat. ff. de Pact. n.6. in fine.*

Quæ cujuſmodi eſſe ſoleant?

L. Solent autem plerumque fieri vel de ſervitiis: veluti ut vaſallus coram domino ludat cytharâ, Andreas de Iſernia *in c.1. §. præterea t.2. F. 2.* ut diebus feſtis officii causâ uxorem domini comitetur ad ædem ſacram *d. c.1. §.*

Præte-

Præterea. Itemque ut ſuis, non domini ſumptibus, quod aliorum regulariter obtinet, ſervitia exhibeat. *c. 1. t. 107. F. 2.* vel de Succeſſione, ut fœmina ſuccedat *c. 1. t. 1. F. 1.* ut frater fratri in Feudo ſuccedat *d. c. 1.* ut maritus uxori ſuccedat *c. 1. t. 15. F. 1.* item ne filii ex ſecunda uxore naſcituri ſuccedant. *arg. L. 1. §. ſi parens ff. ſi quis à patre manumiſſ. §. fin. Inſt. de Leg. agn. ſucceſſ.* Sonsb. *P. 5. n. 51. uſq; ad 56.* vel de Alienatione ut Vaſallus alienandi facultatem habeat *c. 1. t. 48. F. 2.* vel denique de amiſſione, ut ob ingratitudinem non ipſum Feudum amittatur, ſed hujus pœnæ nomine certa pecuniæ ſumma dependatur. Vult. *num. 55. cap. 7.*

LI. Pactum tamen ut pater perdat Feudum ob delictum filii. Vult. *cap. 7. num. 55.* nec non Pactum Legis commiſſoriæ *c. 1. t. 27. F. 1.* prorſus non valet.

LII. Hactenus de Inveſtiturâ Feudi novi: ſequitur Inveſtitura Feudi veteris, quâ Feudum jam Vaſallo vel agnatis conſtitutum confirmatur & renovatur. Sequitur iam de F. Confirmatione.

LIII. Hanc renovationem ſi caſus incidat quo vel ex conſvetudine, vel conventione peti debeat, omninò Vaſallus à domino petere tenetur: & quidem ex conventione ſemper peti debet: ex conſvetudine ubi ſpecialis ad omnem domini requiſitionem, ubi generalis mutato Domino feudi aut Vaſallo Vult. *c. 7. n. 60.* Quando ea petendat

LIV. Et quemadmodum Vaſallus à Domini ſui defuncti hæredibus petere tenetur. VVeſenb. *cap. 8. n. 12.* etiamſi Dominus eum ſibi ſuiſque heredibus jurare fecerit. Roſenth. *c. 6. concl. 35.* (neceſſitate tamen juramenti præſtandi hoc caſu remiſsâ Sonsb. *P. 11. n. 17.*) ita etiam Vaſalli hæredes petere, & inſuper fidelitatem juramento promittere ſunt adſtricti, etiamſi Vaſallus pro ſe & heredibus fidelitatem juraverit. Roſenth. *d. l.* Sneid. *T. 5. num. 7.*

LV. Interim tamen Vaſallus vivo adhuc domino fidelitatem promittere Domini ſui filio non tenetur: Qui petant & à quibus.

ut nec filius Vaſalli vivo patre ſuo jurare domino, niſi ea conditione Feudum datum fuerit, cogi poteſt. *c. 1. t. 22. F. 1. c. 1. t. 40. F. 2. L. cum patronus 22. §. 1. ff. de Operis libert.* Alvarott. *in c. 1. n. 8. t. 6. F. 2.*

LVI. Si Dominus tamen jus ſuum directum filio cederet, aut extraneo venderet, Vaſallo à fidelitate ſibi præſtitâ liberato: itemque ſi Vaſallus Feudum filio ſuo refutaret, his caſibus licet vivo domino & vaſallo, fidelitatem de novo jurandam eſſe, non dubitatur. Roſenth. *c. 6. concl. 64.*

LVII. Plures quoq; Vaſalli heredes ſi extent ad quos pro indiviſo Feudum pertineat, omnes ad renovationem hanc petendam ſunt obligati. *c. 1. §. omnes filii t. 26. F. 2.* Zaſ. *P. 7. n. 19.* omniumque fidelitas pro unâ non pluribus habetur, *d. §. omnes filii* Vult. *c. 7. n. 91.* Simul tamen ut petant neceſſum non eſt, ſed illud, modo intra præſtituta tempora fiat, uniuſcujuſque arbitrio relinquitur. Vultej. *cap. 7. num. 92.* Poſſunt quoque ſecundum receptam Germaniæ conſvetudinem, de qua teſtatur Zaſius *d. l. n. 11,* unum eligere, qui tanquam curator omnium nomine petat & juret.

LIIX. E contrario plures domini hæredes ſi ſint, ab omnibus Inveſtitura petenda eſt, niſi unum eligant, cui omnium nomine Fidelitas promittatur, quod tum quando uno actu (forſan quod ſimul non convenerint) fidelitas omnibus promitti non poteſt, omnino eſt faciendum. Vult. *c. 7. n. 94.*

LIX. Quod ſi duo non quidem hæredes, ſed ſingulares ſucceſſores in communione ejuſdem Feudi ſint, & poſt diviſionem factam unius portio acquiratur alteri: Anne acquirens de ea portione fidelitatem denuò promittere teneatur? quæſtio eſt intricata. Diſtinguimus cum Gothofr. *Diſp. Feud. 8. th. 2. l. B.* hoc modo, ut ſi poſt factam diviſionem de alterutrâ parte ſeparatim ſit interpoſita Inveſtitura teneatur, ſecus non item.

59. Tem-

LX. Tempus interponendæ Petitionis Iure Feudorum communi annus & dies determinatum eſt; *c. 1. §. pr. t. 24. F. 2. c. 1. in fine t. 52. F. 2.* quod à tempore ſcientiæ juris ſibi competentis numerari debet. Gail. *2. obſ. 48. n. 8.* citone ita ab initio utile, licet poſtquam cœpit adeò fiat continuum, ut in id etiam dies feriati computentur. Sonsb. *P. 11. num. 11.* (Intra quod tempus ſit petenda [illegible])

LXI. Neque hic diſtinctionem admittimus inter vaſallum qui militiam ſectatur, & vaſallum paganum, ut ille *ex c. 1. t. 22. F. 1.* habeat tempus anni & menſis, hic tantum anni & diei, ſed indiſtinctè tempus anni & diei tam militanti, quam non militanti obſervandum, contra Dd. communem cum Dn. Vult. *c. 7. num. 61.* tuebimur.

LXII. Atque hoc tempus dominum citra vaſalli conſenſum nec minuere aut coarctare, Borch. *c. 7. num. 36.* imo nec prorogare poſſe, verius exiſtimamus. Bl. *in c. 5. t. 22. F. 1.*

LXIII. Ab ejus tamen obſervatione liberantur Impuberes, qui nec ipſi, nec eorum tutores ſi nolint, intra pubertatis tempora petere compelluntur. *c. 1. §. ſi quis deceſſerit t. 26. F. 2.* Mynſ. *cent. 5. obſ. 9. n. 7.* Pupillaris ætas autem hic tam in fœminis quam in maſculis 14. annis definitur. Sneid. *P. 5. n. 29.*

LXIV. Reliquis præciſè ſub pœnâ amiſſionis Feudi ſervandum eſt: *c. 1. t. 22. F. 1. c. 1. t. 24. F. 2.* Roſenth. *c. 6. concl. 32. n. 1.* nam nec jurium ignara ruſticitas *L. 1. §. 1. L. 6. & ſeqq. ff. de I. & F. ignor. L. 12. C. eod. L. 9. C. de LL.* Roſenth. *d. l.* nec temeraria muliebris conſilii imbecillitas *arg. L. 7. in fine ff. de I. & F. ignor. L. 11. L. ult. C. eod.* Roſenth. *cap. 6. concl. 31.* aut minorum inconſulta facilitas, ullam hic excuſationem tribuit. *cap. 1. §. 5. t. 26. F. 2.* Sneid. *P. 5. num. 30. & 74.* Quin imo nec Eccleſia vaſalla prorſus Alvarot. *ad §. fin. t. 40. F. 2.* Schenck Baro *ibid. n. 3.* & multo minus Clericus ab hac temporis obſervatione immunis eſt. Vult. *c. 7. n. 36.* Roſenth. *c. 6. concl. 31.*

LXIV,

Minori contra lapſum têporis datur reſtitutio.

LXV. Minori tamen etiam curatorem habenti, modo ipſius contumacia argui non poſſit, adverſus lapſum temporis uſque ad 29. annum completum beneficio in integrum reſtitutionis ſuccurri, contra Schenckium *ad §. preterea c. 1. t. 56. F. 2.* cum Alvarotto & communi Dd. ſcholâ ibid. ſtatuimus.

LXVI. Idque adeo verum ut ſi duo fratres, in communione ejuſdem Feudi exiſtentes, petere intra tempora neglexerint, privilegio hoc minoris etiam major ſublevetur. *per L. 10. ff. Quomodo ſerv. amitt.* Vultej. *cap. 7. num. 66.*

LXVII. Major verò ex hoc capite quod læſus, in integrum non reſtituitur, ſed regulariter niſi gráves & prægnantes ſuæ ceſſationis cauſas afferat, Feudum amittit. *c. 1. t. 22. F. 1.*

LXIIX. Cauſæ illæ ſunt in perſonis, vel Domini, vel Vaſalli, vel Tertii alicujus, vel extra eas. Vult. *cap. 7. num. 72.* Ex perſona Domini cauſa legitima cenſetur Primo, Abſentia domini, quæ ſive juſta ſive injuſta *c. 1. t. 2. F. 1. arg. L. 9. ff. de Vſuris.* niſi Dominus in propinquo ſit, aut procuratorem domi reliquerit Sonsb. *P. 11. n. 8.* Alvar. *c. 1. n. 6. t. 24. F. 2.* excuſationem tribuit.

Cauſæ excuſationũ ex perſonâ Domini.

LXIX. Secundò Inimicitiæ capitales inter dominum & vaſallum ſine vaſalli culpâ ortæ Borch. *c. 8. n. 15.* idque tam diu donec plena conciliatio interveniat, *c. 1. t. 22. F. 1. §. fin. t. 52. F. 2.* nam quod Dd. Alvar. *c. 1. n. 15. t. 2. F. 1.* Sonsbec. *P. 11. n. 20.* de duplicato legali tempore vaſallo concedendo hic afferunt, intra quod renovatio ſub commiſſi pœna petenda ſit, ratione ſolidâ deſtituitur. Roſ. *c. 9. 6. concl. 54.*

LXX. Tertio Infamia domini, non tamen quævis ſed magna, ut quæ vaſallum ſacramento liberet, *c. 1. t. 28. F. 2.* Schneid. *P. 5. n. 47.* veluti ſi excommunicatus, vel bannitus ſeu (ut loquuntur Dd.) diffidatus ab Imperatore

vel

vel Rege Roſenth. *cap. 6. concl. 51. num. 3. d. c. 1.* item ſi hæreticus vel paganus *L. 4. L. 8. in pr. & §. 4. C. de Her.* Roſenth. *d. l.*

LXXI. Quartò Infantia, *c. 1. t. 22. F. 1.* & furor domini *L. 5. ff. de R. I. ubi Dd. §. 3. & ſeq. l. de Curat. §. 8. Inſt. de Inut. ſtip.* Si tamen Infans tutorem, aut Furioſus curatorem habeat, hi eorum nomine requirendi erunt. Vult. *cap. 7. num. 67.* Idque etiam ad curatorem ventri datum extendendum eſſe docet Mozz. *d. Subſt. F. n. 49.*

LXXII. Quintò Lis inter duos de domini hereditate & Feudi proprietate orta: Quo tamen caſu, ut putat Roſenth. *c. 6. concl. 52.* tutius fuerit, ſi vaſallus cum proteſtatione de non præjudicando illi quem habere jus ex ſententiâ appariturum ſit, interim à poſſeſſore petat.

LXXIII. Sextò ſi dominus alii quam qui abuſivè inveſtitus fuerat poſſeſſionem Feudi contulerit, nam tunc quamdiu tertius rem Feudalem poſſederit, petere non tenetur. Sonsb. *p. 11. num. 22.*

LXXIV. Ex perſona vaſalli legitimum impedimentum præſtat. 1. Ipſius incarceratio. *L. 9. & ſeq. ff. Ex quibus cauſis mai. &c. t. 52. § fin. F. 2.* Zaſ. *p. 7. n. 4.* etiam propriâ culpâ facta. Secundò Morbus ſonticus *L. 60. ff. de Re iudic.* Sonsb. *P. 11. n. 20.* Tertio Hæreditas citra dolum nondum adita in Feudis, quæ omiſsâ hereditate acquiri nequeunt. Gothofr. *Diſp. Feud. 8. th. 5. l. C.* Quartò Abſentia vaſalli, neceſſaria tamen non voluntaria. Vult. *cap. 7. num. 84.* idque verum etiamſi domi procuratorem reliquiſſet. Sonsb. *P. 11. n. 20.* aut commodè aliquem mittere poſſet. Sneid. *P. 5. n. 41.* Ex perſona Vaſalli.

LXXV. Ex perſona Tertii juſta cauſa habetur. Primò ſi feudum ab aliquo tertio facto domini ſine vaſalli culpâ poſſideatur. Vult. *cap. 7. n. 81.* Secundò Inimicitiæ cum Tertio contractæ ob quas ſine vitæ periculo ad feudi dominum venire non poſſit. Sneidevvin. *p. 5. num. 45.* Ex perſona Tertii.

Extra perſonas.

LXXVI. Extra perſonas excuſationem præbet quilibet metus, qui in virum conſtantem & fortem cadere poteſt: cujuſmodi eſt latronum incurſus, peſtis, aquarum inundationes, bellum &c. Sneid. *P. 5. num. 49.* Sonsb. *P. 11. num. 23.*

LXXVII. Quæritur hic quid juris ſi in ipſo temporis curſu impedimentum aliquod legitimam excuſationem tribuens incidat? Dicimus tempus impedimenti durantis non computari, ſed impedimento ceſſante & ablato tantum temporis vaſallo de novo concedendum, quantum de legitimo tempore cœpto tum cum impedimentum contingeret adhuc ſupererat. Sneid. *P. 5. n. 31.* Roſenth. *c. 6. concl. 46.*

LXXIIX. Hæc tamen ita, ſi perſona vaſalli dominique eadem maneat: domino namque & vaſallo intra annum & diem quoquo modo mutato, vaſallus ipſiuſve heredes novum annum & diem ad petendam Inveſtituram habebunt, exploſâ quorundam inter Feudum novum & antiquum diſtinctione. Borch. *c. 8. n. 8.*

LXXIX. Atque ita non tantum intra legitimum tempus renovatio petenda eſt: ſed & tempore puta diurno non noctis Zaſ. *P. 7. num. 5.* locoque congruo: nimirum in domini territorio ſibi ſit, peti debet. Vult. *c. 7. num. 166.* idque debito modo ſecundum loci conſvetudinem, honorificè dominum adeundo, cauſiſque adventus ſui explicatis inveſtituræ deſiderium reverenter & obſequiosè cum oblatione fidelitatis promittendo. Sonsb. *P. 9. n. 27.* Zaſ. *P. 7. n. 13.* Sneid. *P. 5. n. 57.*

LXXX. Et dominus hoc modo requiſitus, coram teſtibus duobus, paribus an extraneis nihil intereſt. Sonsb. *d. l.* vaſallo ſive per ſe, ſive per alium petenti Inveſtituram facere debet. VVeſenb. *cap. 8. num. 13.* formâ pactiſque (niſi nunc aliud convenerit) Inveſtituræ primæ per

per omnia obſervatis: ejus namque cum ſit quaſi radix & fundamentum omnium ſubſequentium tanta authoritas, ut ſi quid in poſterioribus invitis agnatis vel aliis jus acquiſitum habentibus mutatum reperiatur, iis nullum præjudicium creet, & pro irrito habeatur. Borch. *cap. 1. num. 25.* Sneid. *P. 4. num. 25.* Zaſ. *6. num. 23. & ſeqq.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

FINIS.